

vero termino elapso, et ipsis non venientibus aut non mittentibus ad manifestandum ut est dictum, eo casu, sint, intelligantur et esse debeant incursi in irremisibilem poenam amissionis omnium rerum sic conductarum, tam concessarum quam vetitarum et conductarum (ut supra), et ad alias poenas omnes per ordines nostros statutas, in quas essent incursi subiaceant. Et insuper sint banniti de Venetiis et districtu per annos quinque, et si quo tempore contrafecerint banno, et capti fuerint, stare debeant anno uno in carcere clausi et remittantur ad bannum, et hoc totiens quotiens, cum talea capientibus eos et dantibus in vires Domini nostri librarum solvendarum de bonis eorum si haberi poterint, sin autem ex pecuniis Domini nostri.

Rerum vero prædictarum sic conductarum, aut valoris eorum poenarum atque pecuniarum, in quas transgressores incurrissent, medietas sit accusatoris per cuius accusam veritas haberetur, et teneatur secretus; et alia medietas sit arsenatus nostri, exceptuando tamen ab hoc ordine illos omnes, tam ciues quam subditos, et alios qui conduxissent azalia et alia vetita per Ecclesiam, ad partes infidelium.

Præterea sit captum: quod si plures fuissent socii, seu participes ipsorum contrabannorum, et unus eorum seipsum et alios socios suos, seu participes accusaret et manifestaret advocatoribus communis, sic quod per ejus manifestationem de sociis veritas haberetur, sit ille talis socius, qui primo se et alios socios accusabit et manifestabit, absolutus ab omni poena in qua ipse pro prædictis esset incursus et posset incurrere, solvendo tamen tantum datia ordinaria portionis suæ, et decimas, et alia onera civitatis, necnon habeat portionem suam condemnationis aliorum sociorum suorum, et teneatur secretus.

Teneantur etiam patroni galearum, navium et aliorum navigiorum nostrorum, ac scribæ eorum, super quorum galeis, navibus, sive navigiis dicta contrabanna conducta fuerint, conductores quoque ipsorum contrabannorum ad navigia, tam nostra quam aliena venire, seu mittere ad manifestandum in terminis suprascriptis quidquid super ipsis galeis, navibus, sive navigiis a dicto tempore citra esset caricatum, aut per ipsos conductores conductum de prædictis mercantiis, tam concessis quam vetitis, et extractis ex aliis locis, tam nostris quam alienis, omnia quæ essent caricata, seu conducta, et de quorum ratione, sine aliqua diminutione aut occultatione. Et qui primus eorum venerit ad manifestandum, consequatur beneficia, tam absolutionis quam portionis illius, vel illorum, qui per ejus manifesta-

tionem essent condemnati, et teneatur secretus: aliter, ipsis non venientibus, sint, intelligantur et esse debeant privati per decennium omnibus patroniis, scribaniis et aliis officiis et beneficiis Domini nostri, tam intus quam extra, et insuper sint banniti per ipsos annos quinque de Venetiis et districtu, ut supra dictum est. Et patroni, tam galearum, navium, et aliorum navigiorum nostrorum amittant omnia nabula mercantiarum prædictarum, quæ vadant ad arsenatum nostrum; missetæ vero, sansari seu mediatores contractuum talium mercantiarum, venditionum, seu compositionum de talibus mercantiis, ac notarii, qui instrumenta et pacta confecissent, seu scripsissent, ac aliæ privatæ personæ quæ fuissent mediatrices, vel intervenissent in talibus contractibus, teneantur in termino prædicto mensis unius venire ad manifestandum advocatoribus communis quidquid ipsi sciverint aut eorum medio et interventu factum, conclusum, celebratum et conventum fuerit inter partes, sub poena illis qui haberent exercitia publica, perpetuæ privationis omnium officiorum et exercitiorum quæ haberent, et aliis banni prædicti per quinquennium.

Advocatores vero communis teneantur, sub debito sacramenti, quam primum habitis denuntiis in contrafactionibus ipsis formare legale processum, et cum eo quod habebunt, tam per ipsas denuntias, quam inquisitiones quas facerent, introducere easum in Consilio Rogatorum, vel ad aliud Consilium, prout eis pro libertate sui officii et celeriori expeditione melius videbitur.

Exactio autem omnium pecuniarum, quæ fiet virtute præsentis partis, fieri debeat ad officium pecuniæ. Mittantur ad officia deputata, et dentur tam denuntiatoribus quam aliis ad quos spectabunt, et illi qui solvent teneri debeant secreti.

Præsens vero pars, quæ solum providet et respicit ad mensfacta et contrafactiones hactenus commissas, non habeat in aliquo derogare per futura tempora omnibus legibus et ordinibus nostris contra transgressores omnes qui illis contravenissent, et qui in suo statu et vigore remaneant.

Et quia, per ea quæ resonant, datarii datorum nostrorum introitus et exitus habuerunt notitiam de prædictis, ideo captum sit, quod datarii qui fuerunt a dicto tempore citra, teneantur in prædicto termino mensis venire ad manifestandum quidquid ipsi sciverint circa prædictas omnes contrafactiones, sub poena quod nunquam possint conducere datia nostra, nec habere participationem in illis, ac etiam banni prædicti annorum quinque ut supra. Et si-

67

76*

78